

**www.e-rara.ch**

**Dialogorum Platonis argumenta**

**Tiedemann, Dieterich**

**Biponti, MDCCLXXXVI [1786]**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Laches.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Plato impendit, ut solet nonnunquam in declarandis, quae per se patent, absurdis, nimium ingenii acumini indulgere.

## L A C H E S.

**N**ICIAS & Laches, quaerentes inter se, an filiis suis expediat doceri artem in armis dimicandi, Lyfimachum, Melesiam & Socratem in consilium adhibent: quorum cum alter id suavisset, alter dissuasisset; rogatus Socrates sententiam, quaerendum prius esse respondet, an sit inter eos, qui hanc artem calleat, posse enim a nemine, nisi rerum perito scientiaque instructo, bonum afferri consilium: cum tamen omnis hac de re consultatio eo spectet, ut filii virtutem adipiscantur; de virtute ipsa, in specie autem de fortitudine, ad quam maxime pertineant exercitia armorum, an rite eam habeant perspectam, esse quaerendum, ut hinc demum, qua ratione ea sit paranda, definiatur. Fortem igitur dicit Laches eum, qui in ordine suo manens, adversus hostes pugnat, nec fugit. At Scythae, reponit Socrates, pugnant fugientes, immo & Lacedaemonii eodem pugnae genere nonnunquam sunt usi: quos cum fortes viros existiment omnes; qui manet, nec fugit, solus fortis non est dicendus; tu ergo quandam fortitudinis speciem affers, cum ego de omni in universum fortitudine, non bellica tantum, sed quae cernitur in morbis, in paupertate, in periculis, in cupiditatibus & animi affectibus oppugnandis, quaeram. Fortitudo ita accepta, respondet Laches, est animae tolerantia. At non omnis tolerantia, monet Socrates, est fortitudo: haec enim cum sit res bona ac honesta, cumque tolerantia, cui deest prudentia, inter honesta nequeat referri; tolerantiam & fortitudinem necesse est differre. Tolerantia ergo, cui accedit prudentia, fortitudo potius esset dicenda, nisi quaedam obstarent, praecipue quod qui to-

lerat, ut prudenter eroget pecuniam, lucri faciendi causa, fortis non audit; quod fortior dicitur, qui absque armorum tractandorum peritia pugnam capeffit, etsi qui arma tractare antea didicit, sit prudentior; adeoque non omnis fortitudo adiunctam habet prudentiam. Lachete his iam defatigato, Nicias fidenter satis definiendi partes suscipit, aliasque affert, meliores quidem, haud tamen ex omni parte probandas definitiones.

Is, quarum quisque rerum est maxime peritus, cum in iis praestet, eaque optime faciat, fortitudinem definit sapientiam, seu scientiam metuendorum & non metuendorum in bello, reliquisque omnibus rebus. At medici quae in morbis sunt metuenda sciunt, nec fortes tamen propterea dicuntur: idem de agricolis dicendum. Ad haec Nicias: Utrum aegroto expediat magis sanitati restitui, ignorant medici: ergo, cum hinc maxime, quae sunt metuenda & non metuenda, intelligatur; metuenda & non metuenda medici ignorant. Nec etiam est alicuius momenti, si quis, vates solos esse fortes, cum quatenam sint eventura praevideant, hinc inferat; vates enim quae futura sint modo intelligunt, de utilitate inde proveniente parum solliciti: aut si quis fortitudinem bestiis, ratione & scientia destitutis, ea propter deneget; bestiae namque feroces sunt, non fortes. Alia igitur ratione eum Socrates oppugnans, de sententia tandem deiicit: fortitudo est virtus quaedam, non virtus omnis, cum praeter eam prudentia quoque, iustitia, aliaeque in virtutum numero ponantur; metuenda porro sunt ea tantum, quae expectantur, id est, futura, exclusis praesentibus ac praeteritis; omnes denique scientiae absque ullo temporis discrimine, ad praesentia ac praeterita non minus, quam futura extenduntur, medicina v. g. agricultura, ars militaris, ceterae; eadem ergo scientia, qua futura dignoscimus metuenda & non metuenda, praesentia quoque ac praeterita cognoscuntur, id est, bona malaque in universum, adeoque fortitudo omnem complectitur virtutem, cum, qui bona omnia malaque novit, vir-

tutem totam possideat. Victo Nicia, fortitudineque non inventa, quam habeat naturam: Laches ignorantiam fassus, ut Socrati filios tradant erudiendos patribus suadet; hunc namque, quid sit fortitudo & reliqua virtus, optime habere perspectum. Insunt huic dialogo subtiles, nec parvi momenti rationes, quae, quam sit difficile accurate fortitudinem definire, docent, simulque hac de re meditaturum haud parum possunt iuvare. Id unum non omni videtur reprehensione carere, quod virtutem in genere scientiae collocari Socrates probat; cum experientia satis doceat, qui optime aliquam rem norunt, virtutisque & officiorum indolem maxime habent perspectam, eos propterea virtutem non exercere, sed praeter scientiam accedere aliud quid ad complendam virtutis definitionem debere.

---

## L Y S I S.

**I**NQUIRITUR in hoc dialogo, quaenam sit causa, quae amicitiam ac amorem inter homines conciliat; refutatique disputatione subtilissima, quae solebant ab aliis afferri, nihil certi definitur. Vehementer haec quaestio vexavit philosophos, ut ne hodie quidem, quod ex omni satisfaciat parte, facile invenias: in qua tractanda tanta cum subtilitate, tamque accurate versatur Plato, ut merito hunc dialogum inter praestantissimos, & ad exercendum ac acuendum ingenium aptissimos, quique simul methodum inquirendi exhibent optimam, liceat collocare. Est autem eorum, quae differuntur, ordo talis: Hippothales, Lyfidem amans, nulla ratione cum eius sibi conciliare amicitiam valeret, reprehensus insuper a Socrate, quod carminibus, in adolescentis laudem compositis, superbiam eius auget; ab eo, ut doceat se, quo modo gerere sese erga eum debeat, aut saltem demonstret exemplo, perit. Saepissime Plato de